



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1740. usque ad annum 1742

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1787

VD18 90119649

§. 66. Iteratæ Wormatiensium Lutheranorum querelæ contra Catholicos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67882](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67882)

Sæc. XVIII.
A. C. 1742.

gativam, ut supra meminimus, præter alia decora reduxit: demum pro tot exantlatis laboribus mercedem in cælis pia morte die vigesima prima Septembris recepit anno ætatis suæ sexagesimo quinto; celebre reddidit nomen suum edita a se *Ratisbona politica* &c. Successorem habuit Joannem Baptistam Kraus Virum rara pietate & omnigena eruditione longe clarissimum. Obiit præterea Franciscus Corerius Venetorum Patriarcha & Dalmatiæ Primas, in cuius locum electus est Aloysius Foscarini.

§. LXVI.

Iteratæ Wormatiensium Lutheranorum querelæ contra Catholicos.

*Vid. supra
tom. 73. p.
738.*

Hoc item anno Wormatienses Lutherani Catholicos, qui tamen in sacris soli suo Episcopo subsunt, in avitæ Religionis suæ exercitio turbabant. Occasionem inde captarunt: Decumbebat morbo admodum periculoso ancilla Catholica, quæ apud R. D. Schlipgen Canonicum famulabatur: ad hanc ergo die nona Maji Parochus ad S. Pauli sacrum Viaticum sub Baldachino ac sonantibus cymbalis, & comitante populo publice deferebat. Inde lacrimæ,
mo-

Sæc. XVIII.
A. C. 1742.

motus & lamenta: altum pro more in-
clamant Lutherani, violatam esse pa-
cem religiosam & Westphalicam, vili-
pensum Cæsareum rescriptum an. 1732.
hac in caussa obtentum: die ergo un-
decima ejusdem Mensis confestim ad
Ecclesiasticam Wormatiensis Vicarii
Curiam ablegant Notarium, qui contra
hunc religionis actum protestaretur.
Verum vanæ erant hæc sine viribus iræ
adversus ineffragabile Catholicorum jus
effusæ: quocirca Francisci Georgii Co-
mitis de Schönborn Electoris atque Ar-
chiepiscopi Trevirensis & Wormatien-
sis Episcopi Vicarius Generalis, Pro-
Vicarius, Officialis, omnes Consilarii
Ecclesiastici, Sigillifer atque Assesores
unanimes suffragio declararunt, quod
contra Senatus ac Lutheranorum at-
tentatum, ac temerarios eorum ausus
palam reclamarent, nec unquam per-
missuri essent, ut in illimitato religio-
nis exercitio, quod Catholici a primis
adoptatæ fidei Catholicæ auspiciis, imo
in ipso etiam anno normali 1624. in hac
Cæsarea & libera Imperii Civitate fem-
per habuerunt, ullo pacto perturbaren-
tur; quin potius in omnibus & singulis
ejusmodi casibus ac nominatim in pub-
lica delatione sanctissimi Sacramenti ad
infirmos avito suo jure usuri, & nequa-
quam indulturi essent, ut ullo pacto a

U u 3

Ci-

Sæc. XVIII. A. C. 1742. Civitatis Magistratu vel hac in re præpediantur, aut ab eo leges vel limites Catholicis præscribantur. Pariter Decanus Capituli ad S. Paulum adversus protestationem a Magistratu die vigesima sexta Maji interpositam vicissim reclamabat, declarans, frivole obtendi, quod hoc actu Cæsareum rescriptum fuerit violatum, minus vero ejusmodi actus in Collegii ædibus a civica jurisdictione penitus exemptis prohiberi posse; aliunde vero liberum Religionis Catholicæ exercitium in Wormatiensi Civitate nullo unquam tempore legitima auctoritate fuisse circumscriptum aut ademptum; vi enim pacis Westphalicæ omnia reposita fuisse ad eum statum, quo in anno decretorio fuerint: jam vero luce meridiana clarius esse, idque publicas tabulas, probatissima Historiæ documenta, lapides & saxa testari, quod eo anno Wormatiensis Civitas imperio & protectioni Infantis Hispaniæ subiecta & Cæsareis & Hispanis præfidiariis munita fuerit, proin exercitium Religionis Catholicæ in omnibus Ecclesiis ac locis omnino illimitatum floruerit, omnes Parochiæ & Ecclesiarum redditus sub Catholicorum Parochorum directione, & inspectione fuerint administrati, & Episcopus actus Episcopales sicut & jurisdictionem Diæcesanam in

omnes cives sine ullo impedimento ex-
 eruerit, Catholicorum nulli præstitis
 præstandis jus Civitatis denegatum fue-
 rit, monasteria ab omni civico opere
 ac tributis immunitatem habuerint, &
 Hispani Lutheranis nullum sectæ suæ
 exercitium concefferint, Calvinistæ ve-
 ro nec in anno regulativo nec tempore
 pacis Rysvicensis ullum Religionis suæ
 exercitium habuerint, sed primum post-
 quam Hispano-Cæsareæ copiæ urbe ex-
 cesserant, Lutherani Catholicos vexa-
 re, eosque in antiqua Religionis suæ
 possessione violenter turbare attentarint,
 ac præprimis in Parochia ad S. Ma-
 gnum, quamvis ea non modo vi Cæsa-
 rei decreti, sed etiam vi Monasteriensis
 pacis Catholicis sine omni controversia
 fuerit adjudicata, in Templo tamen
 FF. Prædicatorum simultaneum exer-
 citium invehere præsumpserint, utpote
 adhuc omni sectæ suæ Templo destituti:
 dein Calviniani Electoris Palatini Ca-
 roli Ludovici potentia & patrocinio tuti
 in hoc simultaneo exercitio contra Ca-
 tholicorum protestationes tutati fuerint,
 atque illo abhinc tempore Catholicos
 cives e Senatu, aliisque officiis, imo
 & a jure civitatis excluderint, & post-
 quam Catholicorum pauci adhuc vita
 superstites sensim mortui sunt, nullos
 alios admiserint, & Joannem Lattig,

Sæc. XVIII.

A. C. 1742.

U u 4 cujus-

Sæc. XVIII. A. C. 1742. cujusdam civis sutoris Catholici filium, in superhabitis iteratis precibus, ad jus civitatis & tribum assumere constanter recularint, caussati, numerum civium jam esse completum, cum tamen sæpius ad oculum patuerit, quod paulo post exteros secta tamen Lutheranos & Calvinistas in cives assumpserint. Insuper, si, quod tamen rarissime contigit, post impensas plurium annorum preces Catholicum assumpserunt, id non alia lege factum fuerit, nisi solutis centum, imo & centum quinquaginta florenis, cum tamen Lutherani & Calvinistæ nunquam amplius, quam sex florenos pro antiquo more numerarint, uti constat ex syngraphis coram Commissione Cæsarea anno 1718. exhibitis.

Præterea Lutherani eo usque prolapsi fuerint, ut Catholicorum processiones extra ordinem decretas præpedire ausi sint, & illam anno 1698. in gratiarum actionem ob impetratam Ryfvicensem pacem penitus turbare, & tam Sacerdotem, qui SS. Eucharistiam circumferebat, ceterosque Sacerdotes, qui illum comitabantur quam Catholicos cives multis plagis ac verberibus affecerint, eosque lapidibus dissiparint. Ordinarias vero processiones ad certas plateas restringere præsumpserint, & Ca-
tho-

tholicos ab ipso supplicantium cœtu vi
 extraxerint, eosque ad carceres raptarint, uti ante aliquot annos in diebus
 rogationum factum fuisse constet. Nec
 his contenti, insuper redditus Parochorum & Ecclesiarum ad SS. Joannem, Rupertum, Magnum, Lampertum, & Amandum a Lutherano Magistratu private collecti & potissimum ad usus profanos, non autem ad dictarum Ecclesiarum reparationem, aliaque utensilia impensi fuerint, Catholicis Parochis necessariam desuper dispositionem & inspectionem denegarint, & ne unquam quidem coram Catholico Parocho reddituum rationem reddiderint, Ecclesiarum pecunias in fœnore positas levarint, easque Lutherano ærario adjudicarint. in matrimoniis mere Catholicis multa pecuniaria, aliisque gravibus pœnis impositis Catholicos etiam post denuntiationes a Parocho suo Catholico factas compulerint, ut rursus a Prædicantibus Lutheranis se proclamari curent, pariter in matrimoniis mixtis, ut actus Parochiales tam copulationis, quam baptismi a dictis Ministris fiant, sponso etiamnum adigant. Verbo, variis violentiis libertatem conscientie Catholicis adimant, Matribus Catholicis Filias Catholicam Religionem profitentes vi

Sæc. XVIII.

A.C. 1742.

Sæc. XVIII. eripiant, easque ad Lutheranas regio-
 A. C. 1742. nes transmittant.

Præterea Catholici in causis seu controversis sponsalitiis & matrimonialibus contra omnem pactorum fidem recursum ad Episcopum vel ejus consistorium, indicta gravi pecuniarum pœna, non modo occludant, sed & Lutherani cognitionem super hujusmodi causis in matrimoniis Catholicis sib. propria auctoritate arrogent; uti Catholicum fabricum lignarium, nomine Petrum Gräber, eoquod coram Lutherano Consistorio comparere renuit, centum thalerorum Imperialium multa non solum oppresserint, sed etiam nulla mora ex ejus cavea integrum vini dolium in pœnæ executionem vi extraxerint. Pariter Ecclesiasticorum bona, quæ olim ad erigenda valla & aggeres fuere usurpata, nunc, postquam cessante Gallica devastatione rursus fuerant solo æquata, Catholicis non fuerint restituta, sed a Lutheranis detenta & in eorum usum reducta: immunitas etiam Ecclesiastica in variis locis sine ullo respectu aut discrimine per violentam oppugnationem ædium Canonicalium & atriorum ante Ecclesias, & per scandalosas verberationes in cæmeteriis & per plura alia ejusmodi attentata graviter violata fuerit.

Item Lutherani, cum juxta vetera ^{Sæc. XVIII.}
 pacta pro plaustro vini nonnisi triginta ^{A. C. 1742.}
 sex crucigeri penderentur, nunc a Cle-
 ro Catholico tres florenos (quamvis hæc
 exactio post ultimam Cæsaream Com-
 missionem cessarit) exigant, a Monaste-
 riis pari cum civibus onere de eorum
 victualibus, imo etiam de vino aliisque
 rebus per eleemosynam acquisitis, insu-
 perhabito Cæsæreo exemptionis privile-
 gio, tributum extorqueant, præfatis
 quoque Monasteriis, nec pecunias in
 scenore positas nec pensiones, quas
 ipsis tamen Lutheranus Magistratus
 jure debet, persolvant, Jesuitas, quam-
 vis in locum Vicariorum Cathedralium
 antea defunctorum recepti, & in jura
 & privilegia ratione Immunitatis intro-
 ducti fuerint, contemptis etiam Cæsa-
 reis privilegiis, pro rebus, quas ad con-
 sumptionem quotidianam invehunt, si-
 cut pro vino, fructibus &c. ad solvendum
 tributum compellant, quin tamen Se-
 natus vel unquam eis pecunias ad cen-
 sum positas vel pensiones, quas eis ta-
 men Magistratus notorie debet, solverit,
 sed potius eis nihil aliud indulserit,
 quam ut pro Catholicorum schola ex
 eleemosynis emptam ædiculam extra
 muros erigere potuerint, cum tamen a
 longissimo tempore, prout relicta adhuc
 rudera loquuntur, in urbe talis schola
 fue-

Sæc. XVIII. fuerit, idque etiamnum civibus & Ju-
A. C. 1742. dæis passim concedatur.

Calvinistis quoque, etiamsi nec ante nec post annum normalem usque ad Rysvicensem pacem ullum publicum religionis exercitium habuerint, Lutherani tamen illud nuperrime concesserint, eisque eo fine amplum locum celsiferint; quinimo ipsimet Lutherani nunquam propriam in urbe Ecclesiam habuerint, sed primum novam sibi erexerint. atque ad illius fabricam, ubi antea PP. Franciscanorum Monasterium erat, potissimam hujus loci partem sibi vendicarint, cum tamen ille locus, utpote sine Ordinarii consensu alienatus, etiamnum immunis ac Jurisdictioni Ecclesiasticæ subjectus sit.

Non minori etiam certitudine Collegium Cathedrale Lutheranis demonstratum ibat, quod in Comitatu Leiniano-Hartenburgensi, Hedesheimensi, Westerburgensi, vicinisque pagis necnon Nassavio-Weilburgensi, Wertenburgensi comitatu, aliisque locis quamplurimis in anno decretorio 1624. & tempore pacis Rysvicensis Religio Catholica viguerit, ejusque exercitium nonnisi postea per Lutheranorum violentias fuerit restrictum aut penitus eradatum. Eapropter Episcopus Wormatiens-

matiensis, omnesque Catholici non fa- Sæc. XVIII.
 tis mirari poterant, quod Lutherani sese A. C. 1742.
 a Catholicis gravari, & in sectæ suæ
 usu per Catholicorum actus Parochia-
 les turbari querantur, cum tamen e con-
 trario Catholici per Lutheranorum in-
 novationes ac violentias in aviti juris
 sui possessione impediri, & pacem Mo-
 nasteriensem, & Rysvicensem aperte
 multimodis violari, jure meritissimo
 conqueri possent. Eapropter Treviren-
 sis Elector ac Wormatiensis Episcopus
 Magistratui rescripsit, notorium esse,
 quod Senatus Cæsarei Consilii decre-
 tum ob- & subreptie anno 1732., & qui-
 dem non audito Prædecessore Franci-
 sco Ludovico Electore Moguntino ex-
 torserit, illudque rescriptum, cum re-
 cta paci Westphalicæ & anno 1728. pro
 Catholicis emanato decreto opponatur,
 ab ipso Cæsare rerum gnaro ac conscio
 minime concedi potuerit &c. Nihilo-
 minus anno sequenti Lutheranus Wor-
 matiensis Magistratus & Senatores con-
 tra Wormatiensem Episcopum, ejusque
 Vicariatus Curiam querulas literas ad
 Carolum VII. Imperatorem dederunt,
 quibus supplicatum, ut Imperator Lu-
 theranos contra nuperum attentatum
 tueri, processum juris impedire, Ca-
 pitulum ad præcavendum & ad refun-
 dendas temere causatas expensas ad-
 strin-

Sæc. XVIII. A. C. 1742. stringere velit. Præterea die trigesima Martii ad ipsum etiam, ut vocant, *Corpus Evangelicorum* existimata sua gravamina contra Catholicos detulerunt. Verum per ipsum Antipalladium ab Episcopo ejusque Capitulo editum jam dudum de æquitate causæ adeo luculenter conkitit, ut in Lutheranorum favorem nil amplius per Cæsaris decreta fuerit immutatum, sed Catholici in suis jurebus dicto scripto vindicatis quiete persistenter.

§. LXVII.

Nova appellantium attentata.

Interim in Galliis continuatum est læicæ potestatis bellum contra Ecclesiasticos, qui notorie refractarios a Sacramentorum participatione & sepultura sacra excluderunt: specialiora ejusmodi facta usque ad annum hujus sæculi quinquagesimum septimum in Synopsin redigimus; id enim Lectori magis acceptum fore existimamus. Igitur anno Christi septingentesimo quadragesimo tertio Josephus Joyau tonsura clericali initiatus Parochum Parochiæ ad Peregrinos in Nannetensi Diæcesi apud Regium Nanentensem rerum capitalium Præfectum deferebat, quod is eidem sacram synaxin ob interpositam a Bulla *Unigenitus* appellationem præbere recusavit.